armis vel aliquibus indumentis. Cum autem iam advesperasceret et deficerent quasi penitus inimici sunt ad castra Florentini reversi militum centurionem invenientes et aciem suam et peditum honorabilem gregem statutorum pro custodia carrocii stantium circa mons altum quia non potuerunt interesse gestis super se ipsis fortiter mormurantium. habitationes eius castri et ceteri qui aderant pro custodia super infortunio flentes vitam carceratam humiliter postulaverunt. Omittere tamen nolo quod licet non viderim stans in eodem exercitu intellexi quod mulieres a longe venientes immoderate plorabant querentes corpora maritorum et unum querens revolvebat plura suum desiderans invenire. Clamabant omnes indistincte flentes et cum esset alterata forma vix aliqua earum